



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 2. De Achaiâ seu Hellade in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

NUM. 8. *Dialecti Grecorum.*

COMMVNITER quatuor appellantur peculiares Dialecti à duobus filiis Hellenis *Æolo*, & *Doro*, eiusdem nepotis filio Xuthi *Io-*
ne, & Atheniensibus qui se *αὐτοχθόνους* dicebant. Sed iij tandem
cum Ionibus coaluerunt, vnde licet fuerit in Græciâ quadruplex
Dialectus, fuit tamen genus duntaxat triplex; *Æolicum*, *Dori-*
cum, *Ionicum*.

Obseruat autem Strabo sub initium lib. 8. ex quatuor Dialectis
Atticam duntaxat, & *Doriam* primigenias esse, cæteras permixtas;
quoniam *Attica*, & *Doris* cùm essent montuosæ, steriles, &
asperæ, non ita facilè exterorum excursionibus patuere. Porrò ad
tempora usque Strabonis omnes extra Isthmum in Græciâ degen-
tes (exceptis Atheniensibus, Megarenibus, & Dorienibus Par-
nassi accolis) *Æoles* nuncupati sunt: *Iones* verò ex Atticâ profecti
Peloponnesum incoluerunt, sed hinc facilè depulsi sunt. Eodem
quoque perusare Dores, qui Heraclidarum beneficio diutiùs
ibi consederunt: vnde factum ut in Peloponneso duplex tantum
genus viguerit, *Doricum*, & *Æolicum*. Arcades autem & Elei
propriè locuti sunt *Æolicè*: illi, quia se texere montium asperita-
te; hi quia Ioui Olympio sacri intacti permaneserent. De *Æolide*,
Ioniâ, & *Doride Asiaticis* sequenti Tomo agemus.

Quomodo autem quatuor illæ Dialecti iterum diuisæ sint dixi-
mus in Europâ antiquâ Tomo superiori pag. 154.

§. 2. *De Achaia, seu Hellade in genere.*

NOMEN *Hellas*, deducitur ab Hellene filio Deucalionis, vt om-
nes arbitrantur, quam Homerus *χαλικηνή* vocat. Non inficior
tamen Eustathium hoc nomen *Hellas* tribuere Thessalicæ ciuitati,
quoniam ut suprà innuimus Græciæ nomen Thessalis primò cō-
cessum est. *Achaia* autem vocata est ab Achæo filio *Æoli* fratre *Io-*
nis, qui cædis reus fugit in Thessaliā, ibique rerum potitus Thef-
salos de suo nomine Achæos nominavit. Quod autem eadem re-
gio sit *Achaia* & *Hellas* Epithetum utriusque concessum arguit
Αχαϊα καλλιγράφη.

QVANTITAS. Maxima Helladis *Latitudo* apud Ptolemæum est

à Sunio Promontorio, ad Anthedonem, quæ reuocata ad magnum circulum ex eodem dat 750. stadia. *Longitudo* desumitur apud eundem à Cynosurâ Promontorio ad Argos Amphilochicum, quæ distantia dat 4. gradus maioris circuli cum dimidio, ac proinde secundum eius principia reddit 2250. stadia.

Qualitas ex sequentibus intelligetur.

§. 3. *De populis Achaiæ, seu Helladis.*

NVM. I. *De Atheniensibus & Atticâ.*

NOMEN. Priùs Attica dicta est *Ionia* ab Ionibus, qui pulsi ab Achæis, fugatis per Heraclidas ex Peloponneso, iunxere se Atheniensibus, quos iam affinitate contingebant. Vocata quoque est *Attia* ab *Aetæone*, *Mopsopia* à *Mopsopo*, *Cecropia* à *Cecrope* Rege (à quo & Athenienses *Cecropidæ*) *Ogygia* ab *Ogyge*, denique ab Attide Crane filia *Attis*, & *Attica*.

QUALITAS. Regio sterilior fuit, & petrosa, hinc à Pindaro *κρατερία* dicitur, ab eius interprete *χρηστός*, & *πετράδης*. Vnde factum est ut ab exteris non fuerint pulsi indigenæ. Abundabat tamen Melle quod Hymettum dicebant, à monte Hymetto. Hic quoque olea inuenta perhibetur: certè oleum Atticum celebrissimum est. *Ficus Atticas* quis ignorat, à quibus dicti *Sycophantæ*, qui prouidebant ne exportarentur. Hic quoque panis candissimus celebratur ab Athenæo.

MORES. Cicadas aureas in capite gestabant, vt ostenderent se Regionis suæ *αὐτόχθονας*, & *γυναικεῖς*. Litteras magni fecere, quare Attica dicta *τὰς σοφῶν οἰκουμένας*. Optimè & eleganter loquebantur Athenienses, vnde Parœmia, *Atticus lepos*. Excellentissimi fuere Naucleri, ideoque mari potiti sunt. Mortuos suos ferè sepeliebant, aliquando tamen comburebant. Sepeliebant olim in vrbe in propriis domibus, postea extra urbem ad viam Ceramicam, quâ itur ad Academiam. Excellentissimi fuere Musici. Ditisimí fuere, & deliciis circumfluebant ob Imperium maris. Reliqua de moribus ex Iulio Polluce, & Plutarcho in Solone repêtes.

POLITIA. Habuit primū Reges Attica, deinde perpetuos Archontes, postea Decennales, denique Annuos. Democraticus hīc viguit status propositus à Solone in 4. ordines distributus ex

Parall. Geogr. Tom. II.

Ddd